

circudent præterita peccata: Premat futurorum metus: Insidietur infernalis draco: Accusent diaboli: dehiscant inferorum fauces, quantum possunt. Nullo unquam nos tempore in dubitationem conjicient: Aut à Deo optimo maximo; à Domino omnipotente, à Patre indulgentissimo divellent. *Quia Spiritum hujus mundi non accepimus*) ut dubitemus, ut separemur; Sed Spiritum Sanctum suum Deus dedit nobis, ut sciamus, quæ ab eo donata sunt nobis: sed Filium nostri causâ suam morti tradidit, nedum flagellis & cruci exposuit; In hunc ergò unigenitum Dei Patris Filium, in hunc fructum ventris Beatissimæ Virginis Mariæ in cruce pendentem, nostræ considerationis oculos dirigamus atque in meritorum ipsius locupletissimum thesaurum, eos defigamus, in quo tantò securiores sumus, quantò ipse potentior est ad salvandum. Hic sit fundamentum spei nostræ, Anchora navis nostræ, scopus navigationis nostræ, tutissimus portus, ad quem in quovis turbine confugimus. Ex hoc enim omnis affluentia gratiarum, omnis justitia justorum, omnis remissio peccatorum. Hic nobis est corroboratio in nostra imbecillitate, consolatio in æternumnis, societas in solitudine, fiducia & constantia denique in desperatione. Qui suâ potentia omnia continet, suo imperio omnia regit, suâ sapientiâ omnia moderatur; Cui sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum, Amen.

## DIXI.



Lit. Lat. rec. B 23, 10.